

tanto labore comparavi, cujus erunt? adstat prudens confessarius, qui eum de morte imminente, et de poenitentia mox agenda monet; ipse vero, quasi monitorem non audiat, clamat adhuc: o divitiæ meæ, et quis vos possidebit? Instat confessorius, non jam de terrenis, sed de cœlestibus cogitandum opibus; at eandem cantilenam semper cantat infirmus; et hæc verba profertens: o divitiæ mee, quibus vos relinquam? non confessus, nec minimum poenitentiae signum edens misere expiravit. Ecce quid accidere soleat his, qui poenitentiam in futurum differunt. Credunt hi, se veram poenitendi voluntatem habituros; jamvero cum iis ægrotantibus quis de poenitentia loquitur, vel obdormiscunt, vel de his solum cogitant, quæ in vita dilexerunt. Tunc avarus de divitiis cogitat, quas mox magno cum dolore relicturus est: tunc impudicus mente revolvit infamen lupam, cui diu assueverat; tunc iracundus viperinum odium, quod tamdiu fovit, in animo fixum servat; de poenitentia autem serio suscipienda hi omnes non curant, ejus non recordantur; aut si meminerint, poenitendi voluntatem non habent.

O peccator, recogita nunc serio ea omnia quæ diximus; in memoria revoca ea, quæ in tota hoc concione agitavimus; ac tamquam certissimum habeas, quod si poenitentiam in futurum differas, dubium et incertum est, an tunc sis habiturus poenitendi tempus, poenitendi gratiam, poenitendi voluntatem. Habebisne tunc poenitendi tempus? forsitan habebis, forsitan non habebis: dabiturne tunc tibi poenitendi gratia? forte dabitur, forte non dabitur: eritne tunc tibi poenitendi voluntas? fortassis erit, fortassis non erit. Hæc omnia dubia, hæc omnia incerta: igitur, si sapias, poenitentiam, quæ tibi ad salutem absolute necessaria est, ne supra tria hæc fortassis stabilias: cum de anima, viteque eternitate consilium inis, ne imbecilliori hoc innotaris fundamento; fortassis (Chrys. hom. 23 in 2. Cor.). Stultus censetur qui præclaram domum supra arenam mobilem, vel supra terram sine fundamento ædificat. O frater, quod præclarius, quodve magis tibi necessarium ædificium, quam spirituale, quam salus animæ tuæ? certe nullum:

ergo stultus censeberis, si hoc ædificium supra arenam mobilem, supra unum, vel tria fortasse stabilias. Fortasse habebis poenitendi tempus, fortasse dabitur mihi poenitendi gratia, fortasse erit mihi poenitendi voluntas. O quam mobilia, quam ruinosa hæc salutis tuæ fundamenta! quare solidius et firmitus quære fundamentum; consilium sequere D. Ambrosii, dicentis: tene certum, dimitte incertum. Poenitentia, quam in futuro faciendam proponis, incerta est, dimitte hoc incertum. Te nunc poenitentiam agere posse certum est, tene hoc certum. Jam jam peccata tua detestare, jam aliena restituere, jam omnia sedulo confitere scelera, jam cunctis veri poenitentis operibus agendis te accinge; dabitque Deus tibi gratiam, qua mediante, poenitentiae tuæ fructus in Cœlo aliquando percipies. Amen.

FERIA V POST DOMINICAM PRIMAM.

DE FILIORUM EDUCATIONE.

Miserere mei Domine fili David; filia mea male a demonio vexatur (Matth. 15, 22).

Non satis est, parentes filiis dedisse quod sint, si, quantum fas erit, non eis dent ut bene sint, seu ut recte et honeste juxta divinarum legum præscripta vivant: non satis est, quod eos procreaverint, si bonæ eorum institutioni non invigilent: non satis est, quod eos homines fecerint, si eos per bonæ educationis præcepta ad christianæ et perfectæ vivendum non alliciant. Fatendum quidem quod esse, quod a parentibus filii perceperunt, sit omnium bonorum primum et maximum, eo quod aliorum omnium bonorum sit radix et fundamentum: qui enim non habet esse, nil aliud recipere et habere potest; melius tamen esset

filiis, quod esse nunquam habuissent, quam si mala educatione ad gravia peccata, et ad æterna inferni supplicia traherentur. Et ideo parentes maxime hortatur divus Paulus, ut filios bonis artibus et disciplinis instituant, bonis moribus imbuant, et quam optime poterunt, educare conentur: *nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina et correptione Domini* (ad Ephes. 6). In quæ verba S. Chrysostomus ait, hanc potissimum esse debere parentum curam et sollicitudinem: *omnia a vobis postponantur curæ filiorum* (hom. 21 in ep. ad Eph.). Hæc sit cura vestra, o patres et matres, qui filios genuistis: non eos solummodo inspicatis ut subditos qui vobis obtemperare, vosque venerari tenentur; verum etiam ut vitæ christianæ et politicæ candidatos, qui a vobis edoceri, et bona educatione imbuti debent: *educate illos in disciplina et correptione Domini*. Videte Chananeam, quæ filia suæ curam habet, ejusque bono maxime invigilat, cum ad Christum clamat, ut illam a dæmonis potestate liberet: *miserere mei Domine fili David: filia mea male a demonio vexatur*. Potest hæc pia mater perhiberi veluti exemplar sanctæ sollicitudinis parentum pro bono natorum, et ab ipsa de cura filiorum et de bona educatione quam illis parentes dare tenentur, dicendi occasionem sumam. *Ace*.

De bona educatione filiis danda, vel procuranda, pauci sunt solliciti: *Alii* enim ex parentibus, postquam filios genuerunt, de eorum vita, moribus, et educatione nullo modo curant; sicut struthio ora quæ edidit, penitus deserit, ita et illi filios quos pepererunt, quasi derelinquunt, eisque libertatem dant agendi quidquid mundus docet, quidquid suggerit diabolus, quidquid natura ad malum proclivis, passionesque idonitæ suadent. *Alii* filios docent, quæ mundi, non quæ Dei sunt: docent illos modum concinne saltandi, pulchre et venuste equitandi, apposite et eleganter se in omni cœtu habendi; minime docent illos modum bene orandi, peccata sua confitendi, et sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum recipiendi. *Alii*, cæca ducti ambitione, filios ad altiores sæculi dignitates, vel ad pinguiora Ecclesiæ beneficia, omnibus viis evehere satagunt;

de iis ad sublimiores spiritualis vitæ gradus, et eminentiores cœlestis Curiaë thronos evehendis ne quidem cogitant. *Alii* tandem ita stolidi sunt et cæci, ut bonam filiorum institutionem pro nihilo reputent, minusque de filiis bene educandis, quam de equis suis domandis sint solliciti. At bona filiorum educatio est bonum supra omne bonum, a quo pendet omne bonum; et ad filios suos recte instituendos tenentur parentes, ut suo, filiorum, et reipublicæ bono consulant. In educatione enim filiorum parentes debent seipsos, filios, et bonum publicum respicere; eosque bene educare tenentur, ut consulant: 1. bono suo: 2. bono filiorum: 3. bono publico.

I PARS.

*Parentes debent filios suos bene educare,
ut bono suo consulant.*

Trito et communi proverbio dicitur, reque ipsa et experientia constat esse verissimum, quod omnes passim, seu plerique communis suis invigilent, suæ quieti consulant, utilitati suæ studeant, et quæ sua sunt, quærant: *omnes quæ sua sunt, quærant* (Eccl. 11, 30). Ut igitur parentes ad debite instituendos liberos alliciamus, velim respiciant semetipsos, et serio considerent bona et mala, quæ ex bona et mala filiorum educatione in ipsos redundant: ac velim primo perpendant, et sedulo ponderent, quantum honoris, gloriæ et utilitas sint percepturi, si filios bona educatione imbuant; et econtra quantum dedecoris et detrimenti sint perpressuri, si illos recte non instituant, et bonis moribus imbuere non conentur.

1. Magna quidem parentibus gloria, decus magnam, cum data filiis bona educatione, ex his unum in cathedra docentem, alium in Ecclesia præsidentem, istum in foro lucentem, illum in claustro divinis vacantem, et omnes vocatione, qua vocati sunt, ambulantes, necnon religiose ubique viventes vident. Hujusmodi parentes, ob bonam filiorum institutionem, ab omnibus

æstimantur, ab omnibus laudantur, et ab omnibus prudentes et pii agnoscuntur: *in filiis suis agnoscitur vir*; seu, ut exponit S. Ambrosius, *unusquisque in filiis suis æstimatur, si bene filios suos instituit, et disciplinis erudit.* E contra etiam magnum parentibus dedecus, cum effrænatis filiorum passionibus habenas remittunt, cum eos non corripunt, non erudiunt, nec bonis moribus imbuunt: et sæpe accidit, ut filius male moratus opprobrium, confusionemque sempiternam patri, matri, necnon toti familiæ inferat. Filius tibi est, quem cæco et carnali amore prosequeris? illum ut pupillam oculi diligis, et ideo non illum corripis cum corripiendus est, non illum mones cum monendus: pravorum consortio illum commisceri permittis: a salutis via illum declinantem vides, et taces: illum blasphemantem audis, et non increpas: licentiori vitæ eum indulgere nosti, et dissimulas: quid tandem fiet? haud dubie nebulonis illius inolebunt vitia, multiplicabuntur crimina: ac tandem in maximum tui, totiusque familiæ opprobrium, omnibus illum vitiis obnoxium, plurimorum reum scelerum, et forte patibulò, vel gravissimis aliis suppliciis addjudicatum videbis. Filiam habes, de cuius salute nulla cura tibi est; illam videre et videri sinis; scis illam huic et illi juveni plus quam par est et horis indebitis loqui, nec curas: imo forte placet tibi ut amet et ametur, ut oscula minus honesta, et alia quæ sexum ejus dedecent, permittat: quid inde accidet? certe omnibus ejus morem scientibus loquendi occasionem dabit, actionum ejus fama undique se diffundet, quisque quid de ea sentiat dicet, et forsàn, si ab istante præcipitio illam non eripias, in illud incidet; forte cum minus cogitabis, annuntiabitur tibi gravidam esse, quam virginem credebas. Tunc ingemiscas plurimum: tunc omni quæ poteris sollicitudine graviditatem ejus celare contendes; mittes illam in locum ubi nota non sit; obstetricæ uteris in arcanis custodiendis religiosissima; medicum solves, ut cuicumque sciscitanti alio eam morbo laborare dicat. Tandem parturiet virgo tua, clamabit infans, audient vicini, aliqui ex adstantibus mysterium revelabit, volabit undique puerperii rumor, atque ita brevi fiet ut filia tua, et tota familia infamia et dedecore opprimantur.

Unde hoc? ex defectu educationis. Si enim a principio filiam tuam prudenter monuisses, bonis moribus imbuisses, et debite corripuisses; hæc in tale scelus non cecidisset, fœdis libidinis carnem suam non coinquinasset, et tu tanto nunc opprobrio non afficereris. Ideo si prudenter tibi et bono tuo consulere cupis filiorum recte sanctæque institutioni totis viribus incumbes; quia si eos bene non educaveris, in tuum totiusque familiæ dedecus erunt; *ac quia si eos recte non educaveris, temporalia tua bona profundent.*

2. Videmus enim quotidie filios, qui bonâ a parentibus multa cum sollicitudine congregata abiguntur, et dissipant. Die ac nocte laboraverant hi, ut in sudore vultus sui facultates filis relinquendas compararent, plus de iis ditandis, quam de iis bene educandis solliciti; plus de fortunæ, quam de animæ bonis procurandis cupidi; Deo autem sic disponente, vel permittente, filii male morati brevi profundunt, quæ pluribus annis, magnisque laboribus parentes congregaverant; per brevi tempore ludis, comessationibus, fœdis libidinibus, aliisque prohibitis excessibus dispergunt, quæ pater et mater parcimonia, vigiliis, et curis multis collegerant. Unde hoc? a mala utique educatione, quam a parentibus percoperant. Si bonis instituti fuissent moribus, fortunæ bona a parentibus accepta non dissipassent, quin potius, christiane vivendo, majora comparassent. Quia vero non bene educati fuere, omnia pessundant, et se, et parentes ad egestatem redigunt; ergo experientia magistra, si sibi ipsis et bono suo parentes consulant, ad hoc etiam filios morigeratos habere satagent, ne temporalium bonorum jacturam faciant. Ulterius autem extimulari debent parentes ad liberorum accuratam institutionem, *ne eosdem esperiantur diros carnifices, qui corruptis moribus eorum senectam cum amaritudine ad inferos deducunt.*

3. Quot lacrymas fundunt, quot gemitus edunt parentes, cum aliquem ex filiis suis omni vitiorum generi deditum vident? quam magna illorum anxietas, cum se toto vite suæ tempore pro filio ingrato, scelesto et reprobo laborasse advertunt? quantus iis dolor cum iis annuntiat, hunc perditionis filium

nunc vino se ingurgitasse, nunc stupro vel adulterio se fœdasse, nunc homicidium, vel grave aliud scelus perpetrasse? norunt parentes quanta in his casibus ipsos maneat afflictio, et certum est eam tantam esse ut sæpe eis mortem, aut saltem dolores ipsa morte graviore inferat. Verum quo acerbiori dolore quo profundiore morore afficiuntur parentes, cum filios habent ita impudentes, ut illos irideant, subsannent, persequantur, imo et nonnunquam percutiant? Tunc amare flent, tunc vociferantur, tunc eos pœnitent, quod filium non bene instituerint, tunc dicunt: si bonis moribus eum imbuissemus, jam noster non esset carnifex, jam tanta non opprimeremur anxietate. Sera tamen parentum pœnitentia! si sibi bene consulissent, filios debite educassent, et jam tot afflictionibus, totque anxietatibus non crucirentur.

4. Urgentissimæ videntur hæ rationes, quibus parentes, si suo bono consulant, ad filios recte educandos adduci debent. Aliam adhuc urgentiorem non tacebo, et dicam quod si parentes bono suo prospicere velint, filios bene instituire nitentur: quia si eorum educationi non vacent, omnium participes et rei fient criminum, quæ educationis defectu filii perpetrabunt, ut enim ait S. Ambrosius, *ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum*. Diogenes, ut refert Plutarcus (l. de doc. virtute), videns puerum intemperantius manducantem, pedagogo impedit colaphum, ut indicaret, magistrum esse eum et causam intemperantiæ discipuli sui, eo quod illum non recte instituerit. Parentes similiter sunt rei et causa criminum quæ filii ob malam educationem perpetrant. Nostis haud dubie, quod D. Bernardus et alii multi narrant de romano quodam juvene, qui cum ob innumera flagitia extremo plectendus esset supplicio, antequam patibulo affigeretur, rogavit ut ultimum vale parenti dicere, eumque secreto paucis affari liceret. Accessit pater, quem cum filius amoris causa exosculari velle simulasset, dentibus nasum ejus apprehendit, et præcidit, moxque adversus illum iratus, exclamavit: *Tu me pater suspendis, tu me interficis: dum enim meam flagitiosam vitam non emendasti, me in hanc contumeliosam mortem*

impulisti. Sicut autem suorum criminum, suæque mortis patrem reum censuit hic juvenis, ita omnium criminum, quæ alii filii ob educationis defectum patrant, rei et causa censendi sunt omnes parentes, qui natos recte instituire neglexerunt: *ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum*. Monet D. Paulus, ut si quis, qui matrimonio antea junctus fuerit, in Episcopum sit eligendus, maxime cavendum, ut talis eligatur, qui filios probos et non criminosos habeat, *filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos* (Ad Tit. 1, 6). Cujus rei rationem subdit, dicens, *oportet enim Episcopum sine crimine esse*. Quæ ratio optima est; non enim sine crimine est Episcopus, et quivis alius pater, qui ob sui incuriam filios habet scelerosos, quia hujusmodi parentes sunt causa criminum quæ perpetrant filii, et omnia eorum scelera illis imputantur: *vitia filiorum parentibus imputantur* (S. Hier. in c. 6, Ep. ad Ephes.). O pater imprudens, audis filium tuum blasphema verba proferentem, et non corripis? blasphemiam ejus tibi imputabuntur. O insensata mater, probe scis filiam tuam scurrilia verba non ægre audire, oscula juvenibus non denegare, nunc cum isto, et nunc cum illo nimis libere conversari, nec ideo illam corripere curas, scito, quod omnia ejus peccata tibi imputabuntur: *vitia filiorum parentibus imputantur*. Si statuae a Phydia elaborate loqui potuissent, omnia verba, sive bona, sive mala, quæ protulissent, auctori et factori earum imputata fuissent. O parentes! filii et filiae vestrae sunt quasi statuae in manibus vestris. Si ex iis faciatis Angelos, seu si bona institutione eos pios et virtute præditos efficiatis eorum merita participabitis: si vero ex iis faciatis demones, seu si mala educatione in causa sitis, quod vitii se dedant, omnium participes eritis criminum, in quæ incident? quæ omnia vobis imputabuntur, ac de iis in tremendo judicio rationem estis reddituri. *vitia filiorum parentibus imputantur*. Dum tu dormis si debite educationis defectu peccent filii, tu dormiens in illis peccabis, si peccatis se iniquent, dum tu charitatis ergo xenodochia lustras, tunc tu in illis peccabis, et forte ob crimina quæ tunc perpetrabunt, æternis tu suppliciis adjudicaberis,

quia filiorum peccata parentibus, qui eos non bene instituerunt, a Deo imputantur, et ut ait Chrysostomus, *si parentes educationis filiorum fundamenta neglexerint, gravissimis suppliciis afficiuntur*. Propterea, o parentes, filios vestros recte educate: ut consulatis bono vestro, *ac etiam ut filiorum vestrorum bono consulatis*.

II PARS.

*Parentes debent filios suos bene educare,
ut bono eorum consulant.*

Multiplici experientia constat, acceptos ab infantia mores raro immutari et plerumque usque ad senectutem et usque ad mortem propagari. Natura enim tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, et sicut vasa odorem, quo primum fuerint imbuta, referunt, sic juvenum animi quas primum formas imaginatione conceperint, nunquam aboleri sinunt. Quod de bonis et malis moribus, de bona et mala educatione verissimum esse comprobatur. Qui enim a pueritia bene instituti et bonis moribus imbuti fuere, usque ad mortem in bonis actibus, et in christianarum virtutum exercitio perseverant, ut videre est in Tobia (2, 13-14), qui *cum ab infantia sua semper Deum timerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatatis eveniret ei, sed immobilis in Dei timore permansit; agens gratias Deo omnibus diebus vite sue*. Hoc etiam adnotari potest in Eleazaro quodam sene (2. Mach. 6), qui cum a crudeli tyranno, ab amicis adulantibus, et a diris quæ patiebatur suppliciis ad divinam legem violandam alliceretur, iis omnibus generose restitit, et Dei legem fideliter custodivit, quia a puero bene institutus fuerat; recogitans enim se a pueritia bonis moribus fuisse imbutum, respondit, se in infernum mitti malle, quam Dei legem violare. Unde tanta Susannæ adversus impuros senes constantia? unde tanta ejus in preferendis suppliciis generositas, nisi a

bona educatione, quam a parentibus acceperat? ut enim ait sacer Textus: *Parentes illius, cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi* (Dan. 13, 3). Quod de Tobia, de Eleazaro, et de Susanna diximus, hoc et de aliis plurimis dici posset, quia ut omnes fatentur, pueri qui a prima ætate optimis disciplinis imbuuntur, usque ad mortem in via virtutis constanter incedere, et Deo servire solent. Econtra, qui in adolescentia bonis moribus non imbuuntur, et viam iniquitatis incedunt, ab ea nunquam discedent, sed usque ad mortem in ea perseverabunt: *adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (Prov. 22, 6). Verum est quod aliquando, ex his qui ab adolescentia vitiiis adhaeserunt nonnulli iis vale dicant, et ad Deum convertantur; at communiter et fere semper, qui male educati et in vitiiis enutriti sunt, nunquam ab iis discedunt. Unde de impio dicitur: *ossa ejus implebuntur vitiiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient* (Job. 20, 22). Hoc serio perpendite parentes et si filiorum bono consulere velitis, eos ab adolescentia recte institute, et bonis moribus imbuite, quia scilicet, si ab infantia bonis moribus imbuantur, toto vitæ suæ tempore bene morati, et virtute præditi laudabuntur, si autem a juventute ad vitia declinaverint, in vitiiis consenescent, et in vitiiis morientur. Magnum quidem et urgens hoc motivum, ut parentes ad recte instituendos pueros inducantur. At urgentioribus adhuc rationibus ad hanc rectam institutionem impelli debent parentes, quia nempe filios male instituendo ac vitiiis indulgere permitiendo eos 1. interimunt; 2. dæmoni consecrant; 3. ad infernum ducunt.

1. Parentes, qui filios bene instituunt, et bonis moribus imbuunt, eis alteram vitam dant eosque quos genuerunt, vita civili et christiana vivere faciunt, nec parum conferunt, ut a Deo illis gratiæ vita tribuatur. At cum illos male educant, et vitiiis adhaerere sinunt eos interimunt, mortemque spirituales animabus illorum inferunt. Unde huiusmodi parentes sanctus Bernardus non parentes, sed peremptores vocat dicens: *O patrem crudelem! o matrem matrem! o parentes crudeles*

et impijs; imo non parentes, sed preceptores! Credis, pater, te vero amore filium prosequi: quia multis eum blanditis permulces, eumque licentiori vitæ indulgere permittis? Sic eum amare, non est amare, sed illius animæ mortem inferre. Credis, mater, te filiam plurimum diligere, quia in omnibus ei placere studes, eamque vanitatibus et illicitis voluptatibus ad hæerere sinis? Sic filiam diligere, non est diligere, sed potius spiritualiter interimere. O parentes, qui sic filios et filias amatis, non parentes, sed preceptores eorum estis, quia animas illorum spiritualiter perimitis: *non parentes, sed preceptores*. Purus ergo et sincerus filiorum amor eorum salutem ac vero bono sancta institutione prospicit; si secus agant parentes, non natos diligunt, sed interimunt, *ac etiam demoni devocent*.

2. Nonnulli olim erant idololatræ, qui filios dæmoni in sacrificium offerre consueverant: *immolaverunt filios suos, et filias suas dæmonis* (Psal. 105, 37). En quid faciunt parentes, qui filios non bene instituunt, nec bonis moribus imbuunt. Cum eos ab infantia recte erudiunt, et debite educant, Deo illos dedicant; at cum illos nec corripiunt, nec erudiunt, nec bonis disciplinis imbuunt, dæmoni illos consecrant. Et ideo D. Paulus ait, eos infidelibus esse deteriores, qui filiorum et omnium domesticorum recte educandorum curam non habent: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (1. Tim. 5, 8). Hi sunt infidelibus deteriores, quia infideles et gentiles idolis et dæmonibus bruta solummodo offerunt; parentes vero qui filios non recte instituunt, eos dæmonibus immolant: *immolaverunt filios suos, et filias suas dæmonis*. Videte quantum intorsit filiorum, ut a parentibus bene educerent: demum id etiam plurimum interest, quia parentes qui filios haud bene instituunt, *ad infernum eos ducunt*.

3. Anna, Samuelis mater, filium a primis annis bene educare et Deo offerre sollicita fuit: non dixit, ut præclare adnotat Chrysostomus, non, inquam, dixit: expectabo donec crescat puer, ut rebus mundanis utatur, ut paululum puerili ætati

immoretur: sed relictis his omnibus, *unum duntaxat intendit quomodo statim ab ipsis vitæ primordiis spiritalem imaginulam Deo fingendam offerret*. Omnes similiter parentes suos ab infantia filios bene instituere et Deo offerre debent: qui enim eos a teneris annis bene instituunt, gratum Deo sacrificium offerunt, et ipsos ne in infernum cadant, tuentur: *tu virga percutes eum, et animam ejus de inferno liberabis* (Prov. 23, 14). E converso parentes qui filios malis vitæ institutis imbuunt, in infernum eos pertrahunt et præcipitant. Quod præclare docuit S. Crisostomus dicens, parentes illos qui liberos male instituunt, parricidii esse sæviore: *Ilos ergo patres parricidii ipsi immaniores dixerim*. Cuius rei hanc dat rationem: *quia illi corpus ab anima separant, isti et corpus et animam æternis ignibus tradunt*. O patres et matres, qui filios genuistis, quamdiu parvi sunt, cæco, stulto, et carnali eos amore prosequimini, omnia quæ faciunt, sive bona illa sint, sive mala, approbatis et laudatis; non eos corripitis cum in Deum blasphemant, et alia peccata perpetrant; virga et flagellis eos a pedagogis percuti ægre patimini; inde fiunt ad vitia audaciores, et ad quæcumque peccata procliviores; deinde peccandi consuetudine pravos contrahunt habitus, et ita in peccatis indurantur, ut vix emendari valeant: quia *citius frangas, quam corrigas quæ in pravum obdurerunt* (Quintil. Instit., 1, 3). Quid ergo fiet de pueris illis quos parentes male educarunt? in infernum haud dubie præcipitabuntur: et ideo æternum damnati erunt, ob pravam a parentibus acceptam institutionem: *illi et corpus et animam filiorum æternis ignibus tradunt*. Horrendum est quod narrat sanctus Gregorius de puero quinquenni, blasphemis assueto, qui cum quadam die inter patris amplexus blasphemias proferret, subito in gehennam a dæmonibus fuit abreptus. Et ut advertit sanctus Pontifex, non sine speciali Dei providentia puer ille jam moriturus, et in infernum præcipitandus, blasphemias iteravit: *quantenus reatum suum pater ejus agnosceret, qui parvuli filii animam negligens, non parvulum peccatorem gehennæ ignibus nutrisset* (Dial. 4, 18).

Ecce quo ducuntur filii, qui a parentibus male educantur: ducuntur in infernum, ubi de patre et matre, a quibus male fuere instituti, in æternum conquerentur: *de patre impiò queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio* (Eccli. 41). O quot et quales filiorum in inferno patientium ululatus adversus parentes, a quibus non fuere bonis moribus imbuti. Si ad illam regionem tenebrarum accedere liceret, ibi audiremus innumeros, qui parentes detestantur, et qui clamantes ajunt: o maledicte pater, in æternum sis maledictus, quia nimia tua indulgentia, negligentia tua et inordinato in me amore peccavi, et inferni vias mihi aperuisti. Ibi innumeras videremus et audiremus filias, quæ de matribus querentes, dicunt: o mater crudelis, seu potius sævissima noverca, tu meorum es causa cruciatuum, et in æternum cruciabor: quia in tempore de educatione mea parum fuisti sollicita: docuisti me quæ mundi et vanitatis, non quæ Dei et salutis meæ erant: suasisti ut domos adirem, ubi celebres choreæ fiebant, et non ut ad templa Deo sacra augustissimum Missæ sacrificium auditura me conferrem: placebat tibi quod hominibus placerem, quod ornata ut similitudo templi incederem, quodque vanitatibus et turpi otio totum fero vitæ meæ tempus insumerem! librorum ad pudicitia corruptionem idoneorum lectione me incumbere facile patiebaris; cum ad mala declinabam, me non corripiebas et tandem ad hunc locum tormentorum veni, quo me dixisti, quia male me educaisti. Sic sic filii et filia in inferno queruntur de parentibus, a quibus inique fuere instituti. Sic de his conqueruntur, et jure merito, quia sunt in causa quod in inferno cruciantur. Cavete, patres et matres, ne in filios vestros sitis crudeles, verum ut ipsorum bono consulatis, eos bene educate. At parentes debent etiam filios bene instituere, *ut reipublicæ bono consulant.*

III PARS.

Parentes debent filios suos bene educare, ut reipublicæ bono consulant.

Filius Clemens Alexandrinus vocat *matrimonii flores*, eosque D. Hieronymus rosas et liliis similes esse dicit. Et recte quidem; quia sicut rosæ, lilia, et alii flores diligentem custodiam requirunt, ne defluant, aut marcescant; ita et filii magna cura et sollicitudine educandi et custodiendi, ne in pravos mores dilabantur. Hanc curam assumere tenentur parentes, non solum ob suum et filiorum, verum etiam ob publicum bonum, quia omne reipublicæ bonum ex bona, et omne malum ex mala filiorum educatione pendet et procedit. Felix illa civitas, felix regnum, felix respublica, in qua parentes educationi filiorum vacant, eosque bonis institutis imbuerentur! bona enim filiorum institutio dat reipublicæ sacerdotes pios ut illam sanctificent, magistratus prudentes ut illam regant, mercatores peritos ut illam ditent, milites generosos ut illam tueantur. Per bonam filiorum educationem quælibet respublica viris doctrina, pietate et æquitate illustribus fulget; bona tandem filiorum institutione familiæ et urbes viris replentur, qui convivunt sine Dei offensa, qui populos regere norunt sine injustitia, et qui in omni eventu se pios, prudentes et beneficos exhibent (Barrad. tom. 1, lib. 5.). Ecclesia sancta Dei, quæ est respublica bene constituta, hæc et alia, quæ a debita filiorum institutione manant, bona agnoscens, omni tempore de juventute recte instituenda fuit sollicita. Et ideo ante Christi adventum multa fuisse legimus prophetarum collegia, multasque doctrinæ domos, in quibus bonæ spei juvenes sub illustribus præceptoribus, Samuele, Elia, Elisæo, aliisque proficerent ad pietatem. Multo magis post Christi adventum apud catholicos ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinatione tot ad juvenum educationem academiæ, tot collegia, tot seminaria instituta reperiuntur.

Concilium Maguntinum sub Carolo magno imperatore, Toletanum primum et quartum, nec non alia plurima ex antiquis conciliis, et novissime sacrum Tridentinum Concilium, multa ad debitam juvenum educationem ordinarunt. Sua seminaria habere solent singulæ Dioceses, ubi educantur Clerici ad Ordines promovendi; in Religionibus nullus solemnia emittit vota, qui prius in novitiatu non fuerit institutus: nulla tandem urbs, nulla respublica bene ordinata quæ scholas et academias non habeat, et quæ præceptores ad juventutem recte educandam idoneos non advocet, quia omnibus notum est, omne reipublicæ bonum ex debita puerorum educatione pendere; ac vicissim, omne reipublicæ malum ex defectu institutionis, vel ex prava puerorum educatione manare. Si enim fiunt sacrilegia in templo, injustitiæ in foro, et fraudes in commercio; si tot in urbibus et pagis sint ebriosi, luxoriosi, blasphemii, multisque cuiusque generis vitiiis dediti, hoc ex mala puerorum educatione procedit, quia mores in pueritia nati plerumque ad senectutem propagantur. Ex quo patit omne fere reipublicæ malum a mala puerorum institutione procedere, nec illam rempublicam stare posse suaque ruinæ esse proximam, in qua de puerorum educatione nulla est cura. Quod ex Isaïæ prophetæ verbis inferre licet: hic etenim integram reipublicæ Hebrææ ruinam ostensurus, ait: *ubi est litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi Doctor parvulorum?* Quasi dicat, de republica Hebræorum actum est, quia in ea non sunt Doctores, et juventutis institutores. Quod autem de Hebræorum republica dixit Isaïas, hoc et de qualibet alia republica dicendum, omne enim cuiuslibet reipublicæ malum ex defectu institutionis puerorum oritur: et omnis respublica, in qua pueri male educantur, ruinæ suæ proxima est.

Verum quidem, quod, ut ait Aristoteles, pueri non sint reipublicæ membra; quia ad dignitates exercendas non vocantur, et ad obeunda publica munera non assumuntur. Attamen ipsi non semper in pueritiæ statu remanent: qui enim jam sunt pueri, fient aliquando homines, et reipublicæ membra: qui jam ambulant ut parvuli, et sapiunt ut parvuli, ad provectam æta-

tem aliquando venient; et ex iis unus erit prælatus, alius parochus; iste iudex, ille senator, et ille prætor. Si autem male educati fuerint, qui ad prælaturam sublimabitur, erit otiosus, vel ambitiosus; qui fiet parochus, erit avarus aut luxuriosus, qui iudicis fungetur officio, erit crudelis aut iniquus; qui senatorem aget, integritate et æquitate carebit; et hinc omnis perturbabitur reipublicæ ordo; seu potius, in ea nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitabit. Ex unius Juliani apostatæ adhuc juvenis mala educatione, Romanæ reipublicæ perniciem prophetavit sanctus Gregorius Nazianzenus. Cum enim sanctus Anthistes, Athenis commoratus, Julianum adhuc adolescentem vidisset inconstantem, crudelem, vitiiis multis deditum et male moratum, statim non ex divina revelatione, tantum ex mala pueri hujus educatione prophetavit, ingens malum Romanæ reipublicæ imminere; *quale malum Romanorum terra nutrit!* Heu! si ex pravis unius pueri male instituti moribus, Romanæ reipublicæ excidium prophetavit vir sanctus: quid dicendum de qualibet alia republica, in qua non unus, sed quamplurimi habentur juvenes male instituti? Procul dubio vaticinari licebit, quod hujusmodi adolescentuli fient urbium et totius reipublicæ pestes; quodque magna mala hujusmodi reipublicæ nutriant, a quibus ipsæ vastabuntur, invertentur, ac totaliter destruentur: quanta igitur instat necessitas ut parentes bono publico consulant, filios pie atque solertis educando ac bonis institutis imbuendo. O patres, o matres, *educate filios vestros in disciplina et correctione Domini* (Ephes. 6). Educate illos, dando eis eximia sanctitati et omnium virtutum exempla: educate, erudiendo illos in doctrina sana, et docendo eos viam salutis: educate, corripiendo illos cum a virtutis semita deflectant, et ad peccata declinant: educate, injungendo illis aliqua opera et exercitamenta ad bonos mores fovendos et angendos idonea. Mementote vos filios educare debere ob vestrum, illorum, et reipublicæ bonum. Ut autem labores vestri non sint inutiles et sine fructu, a teneris annis bonam hanc illorum institutionem suscipite. *Educatio*, inquit moralis philosophus, *mazzimam diligentiam desiderat; facile est enim*

teneros adhuc annos componere (Seneca, lib. 2, *de ira*). Si pueros erudire, corrivere, et bene instituere differas, quousque grandiores natu erunt: correptionibus a te factis, et institutis a te datis non proficiunt; imo fortasse te, tuaque monita et præcepta irridebunt. Quare a primis eos annis bene educare incipe: maximam ex tunc diligentiam adhibe; quia *facile est teneros adhuc annos componere*. Sicut sigillum molli ceræ facile imprimitur, ita et puerorum ingenia sunt veluti cera mollis, cui facile quæ voles, bonæ educationis documenta exarabis: *teneri puerorum animi sunt instar ceræ, in qua facilius imagines exprimuntur* (S. Basil. in reg. fusius disput.). Ne itaque expectes dum hæc obdurescat cera; ne expectes donec creverint, et grandes facti sint filii tui; a tenerioribus annis, et ut primum rationis compotes esse incipiunt, prima eos pietatis doce elementa; et tunc erudi illos, mone illos, et illos vel in minimo mentiri, vel minimum, te presente, verbum charitati contrarium proferre prohibe, et increpa si non optemperent. Argue illos cum levissimis quibusque iuramentis se dedunt; horrorem peccati eisingere, eisque virtutis amorem infunde. Fac ut mane et sero precibus tunc fieri solitis sedulo incumbant: sacrosancto Missæ sacrificio singulis diebus, quantum fas erit, eos adstare cura: eos in templo modestos esse, ac frequenter peccata confiteri satage. Hæc et alia his similia trade vite christianæ instituta, quibus eos a vitiiis avertes, tibi que ac filiis tuis gratiam in hoc mundo, et æternam in cœlo gloriam conciliabis. Amen.

FERIA VI POST DOMINICAM PRIMAM.

DE HUIUS VITÆ VANITATE.

Jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aque motum (Joan. 5, 3).

Ex omnibus hujus mundi bonis, nullum sane ardentius amat quam vita, quantumvis misera, ærumnosa, multisque peri-

culis referta appareat. Scimus in hoc mundo magnam jacere cæcorum, claudorum, aridorum, et omnis generis infirmorum multitudinem; nos non latent miseriæ et pericula, quæ undique nos circumdant: mala plurima patimur, dolores multos portamus, afflictionibus quandoque obruimur; inter has tamen calamitates et miseriæ vitam prorogare, ac diutius vivere semper cupimus; et ut ait S. Chrysostomus, *nihil nobis suavius, quam non mori*. In hunc mortalis vitæ affectum inveli, quæ mei non est animi; hæc est innata cuique propensio, quæ mala esse non potest, modo nimia et inordinata non sit, et modo æternæ vitæ affectum in nobis non restinguat; vitam enim hanc mortalem amare malum non est; sed eam nimis et inordinate amare, hoc malum est. Quare ut nimium vitæ amorem temperare valeam, utque homines ad hanc vitam remissius amandam inducam; quid sit vita nostra mortalis, ingenue et sincere proponere et explicare conabor. *Ave*.

Quod sit humana vita, varii varie explicant. Multi, ut in divinæ Sapientiæ libro legimus, eam ludum puerilem esse sentiunt; *æstimaverunt lusum esse vitam nostram* (Sap. 15, 12). Sanctissimus propheta Job eam nihil aliud esse ait, quam militiam continuam, quia in hoc mundo adversus carnis illecebras, mundi fraudes, et tartareas potestates indesinenter pugnare debemus: *militia est vita hominis supra terram*. Vita nostra, inquit idem propheta, nil aliud est quam ventus levis, qui velocissime transit: *ventus est vita mea*. Si credamus S. Jacobo apostolo, vita nostra est vapor exiguus qui facillime resolvitur et dissipatur: *Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens* (Jacob. 3, 15). Hæc omnes vitæ humanæ descriptiones vanitatem ejus mirifice explicant, hominesque ad ejus contemptum non parum alliciunt. Verum ut ad eam minus amandam, magisque contemnendam illos fortius pertraham, dicam quod vita nostra 1. somnium est; 2. comœdia est; 3. peregrinatio est. Vita nostra *somnium est*; ideo non æstimanda. Vita nostra *comœdia est*; ergo non amanda. Vita nostra *peregrinatio est*: ideo contemnenda. Vita nostra est somnium, comœdia et peregrinatio: en tres hujus concionis partes.